


12



Publ.

Va 23-24. 29. 32. 43.Vb 497Va 54, 55, 57, 60, 63, 64, 72, 75, 77-81,
84, ~~88~~ 89, 88, 90-92, 94, 96.



PENTADA

OBSERVATIONUM maximam partem PHILOLOGICARUM

B. cum L. communicat,

& ad

Declamationes nonnullas

de

HARMONIA NON CONTROVERSA,

Nec non

AD

ORATIONEM JUBILAEAM,

In memoriam facultatis, sacra hic repurgandi,

CC. ab hinc annis clementer concessae, benigne audiendas,

OMNES,

Quocunque natalium, dignitatis, eruditionis splendore, titulo
atque discrimine veniant nominandi,

MAECENATES, STATORES, FAutores, AMICOS,

Musarum nostratium,

ut cras 18. scilicet Martii, post horam octavam matutinam in lyceo nostro
comparere ne dedignentur,

ea, qua par est, animi reverentia atque humanitate
invitatos vult

Stephanei Collegium,

Interprete Ge. Venzkio.

HALBERSTADII, Typis FRIDERICIANIS.

Ad Lectorem.

Non equidem farrago erit haec ad quodque palatum:

Non tamen interea fructu frustrabitur omni.

Non, fateor, non scribo viris insignibus arte:

Utilitas pueri facit hic sed paginam utramque.

Unicus est, in quem conspirant omnia, finis.

Numinis harmonici exemplo sic sum aemulus illi:

Illius in laudem tendant et singula tandem.

En! igitur, lector, viget hic concordia concursus.

* * * * *

**Orthographia, qua v. u. j. a recepta infirmiori talo nitente,
abludens neminem offendat: proxima occasione ra-
tiones reddam.**



Observ. I. *De optima methodo tirones ad Parnassum
per gradus ducendi.*

§. I.



Erum est, quod M. Joh. Balduinus in Programmate
quodam cecinit:

*Est gradus in studiis, est regula certa juventae,
Ut juga Parnasi ducat ad alta pedem.*

Ordine progressus faciendi, - - - Id pluribus
ostentum ibo. Eloquentia latinorum numeris ad-
stricta magni semper est aestimata, idque merito, ha-
bet enim veneris suae, habet utilitatem. Semper itaque in scholis ad
fastigium Parnasi aspirandum. Qua propter in primis latinae linguae
fundamentis probe exercitati, et in augendis illis perficiendisque stre-
nue occupati ut ad hanc Musarum sedem a doctoribus suis gradatim
immo pedetentim prudenti ducantur consilio, fas est, eamque ut legi-
time superare admittantur, sunt monendi. Idque eum in finem, ut sin-
gula Latii vocabula rite pronuntiare, versum componere et compositum
dijudicare discant, multi ad poetas utiliter legendos incitentur, omnes
poeticas suas venas perscrutentur, easque benignas atque divites inde-
fesso sequantur studio, hac mente, ut primae caveae evadant poetae et
in adyta illorum denique intromissi, oblectamentis voluptatibusque
hujus commatis perfruantur.

§. II. Arduus autem est Parnassus, poetarum sedes, et non, nisi improba ac iusta, minime autem praepostera, tumultuaria et desultoria feliciter superatur industria. Multi sub radicibus ejus remissi subsistunt, multi hic palabundi oberrant, multi in lacunis ibidem obviis cunctabundi haerent et in luto misere volutantur. Multi et praerupta montis altitudine et difficili adscensu deterrentur, cessimque eunt: Multi deturbantur, multi circa media subsistunt, multi prorsum quidem nec eunt, nec cursant, sed repunt, et aut plane non, aut non, nisi justo tardius mirisque perfuncti casibus in jugum montis evadunt. Admodum paucis itaque datum est, haec adire sacraria. Prudenti igitur et exercitato itineris duce opus. Quaeritur autem, qua ratione viatores et tirones in altum optime sint ducendi? Et id est, de quo sollicite cogitavi. Quum autem invenerim, quinam gradus tironibus ex ordine sint exsuperandi, paucis eos indicabo.

§. III. *Primum* antesignanus doceat tirones suos terminos necessarios et quantitatum regulas tum generales, tum speciales, qua syllabas finales, tum specialissimas, qua medias, ex Grammatica, idque ratione, qua potest vivacissima atque jucundissima, ut animi subinde magis magisque inflammentur. Et hoc efficitur partim adductis exemplis, partim ostenso fundamento cujuslibet regulae atque exceptionis, quod situm est in numero morarum. Etenim quaelibet vocalis, excepto ut plurimum, U. aut solitaria, aut cum consonante conjuncta unam habet moram in pronuntiando, quando autem in diphthongis vocales, aut in positione consonantes cumulantur, aut syllaba per contractionem, aliamque ob causam e.g. in Ablativis protrahi debet, multiplicantur morae, adeoque talis syllaba, quae duas aut tres complectitur moras, per se longa sit oportet. *Primum* hunc gradum *Secundus* excipiat, lectio scilicet poetarum attendenda, et quidem prae reliquis illorum, qui genere heroico ac elegiaco usi sunt, eo consilio, ut non solum phrasae et figurae poeticae, sed et quantitates mediarum syllabarum, ex auctoritate tantummodo petendae, sensim addiscantur. Quare lectio versuum secundum scansionem interdum utilis, ut quantitates eo melius observentur et notentur. Plura hac de re legantur in meo libello: *Unterricht für Schüler* x. p. 178. *Tertio* pedes varii generis ostendantur, in primis notatu digniores. Et si fieri potest, ratio denominationis, quae ut plurimum a grammaticis omit-

omittitur, ex antiquitate eruatur, ut idae eo clariores fiant, et eo altius imprimantur. Hi sunt tres priores gradus, sequuntur tres aliores.

§. IV. *Quarto* ostendatur, quomodo ex spondeis et dactylis genus carminum adonicum, hexametrum et pentametrum componatur. Ostenduntur eorum leges, quae una cum quantitibus inculcentur, recitando scilicet quantitates et legendo versus ad poetarum numeros. *Quinto* redigantur primum duce praeceptore, dein sine eo, versus transpositi in ordinem. Egregium hoc exercitium subinde repetendum vario modo institui potest. Primum in suppeditis versibus istis, metro solutis, nihil detrahatur, nihil immutetur, nihil addatur. Deinde mox verba omittantur, mox addantur, mox commutentur, ut tirones in componendis versibus omissa inveniant, superflua rejiciant, et incongrua aliis permutent. Et in hoc progymnasmatum genere, ubi primum ultimos pedes ut quaerant, notent, et dein ordine retrogrado procedant, nec commata disturbent, admonendi sunt, tam diu exercitentur, donec ex tempore possint versus transpositum in metrum suum redigere. *Sexto* versus ex uno genere in aliud, e. g. ex adonico in hexametrum et vicissim ex hoc in illud transponantur; ex heroico conficiatur genus elegiacum, et ex hoc illud: Porro successu temporis in alia genera transfundantur, aut in versus teutonicos. Haec exercitatio jucunda est ac necessaria. Et docens ansam nanciscitur, varia scitu necessaria et utilia monendi et docendi.

§. V. Gradibus hisce superatis versus conficiantur et quidem *Septimo* praeceptor cum discipulis in consilium adhibitis thema seligat, disponat, momenta chartae mandanda curet potiora, haec deinceps metro adstringi, qua sensum, qua latinitatem, qua regulas prosodicas, denique qua auctoritatem examinari et emendari jubeat. Quod ad auctoritatem attinet, primo discipiant, an quosdam versus memoriae mandatos in promptu habeant: Si non, gradum aut Smetium consulant, et si alii alia vocabula evolverint, laborem cum taedio facilitabunt, tempusq; lucrabuntur. Hic etiam ostendendum, quomodo tirones epitheta tanquam orationis condimenta partim meditationis, partim syllabi istius ope in fronte gradus ad Parnassum obvii seligant. Haec exercitatio admodum jucunda, nec adeo difficilis insignem immo mirificam spondet ac adfert utilitatem. *Octavo* Praeceptor materiam phrasibus poeticis ad versus conficiendos

endos in calamum dicitur, jubeat versus confici, et errata lineolis notet a tironibus ipsis detegenda et emendanda: Quod ipsi laborem, alias operosum atque ingratum facilitabit, neque eo fecius sui eum voti competentem reddet. *Nono* reliqua versuum genera eorumque peculiare leges et privilegia ex ordine ostendantur, legendo, imitando et exercendo, uti supra dictum, singula inculcentur. Hoc tamen ordine servato, ut simplicia et faciliora genera compositis et difficilioribus praeferrantur, jambicis et trochaicis versus ad posteriora, quia hic multae valent libertates et variationes, quae schema contortum reddunt atque difficile retentu, referantur. Horatius et Freyeri fasciculus poematum in subsidium hic vocari possunt.

§. VI. His superatis gradibus, ad supremos quoque aspirandi tempus erit. Quare iis, qui octavum et nonum gradum adhuc ornant, aut jam reliquerunt, themata distribuantur decantanda, quoquo velint modo atque genere. Suaserim tamen, ut brevis dispositio adumbretur, ne in decurrendo hoc stadio aut selectu peccent, aut adstrictiores aut effusiores sint. Maxime autem rerum inopia laborant tirones, utpote quorum suppellex ex lectione colligenda curta, ingenium inexercitatum, judicium non subactum, experientia inexperta et manca est. Quam ob rem *undecimo* loco varia carminum genera, eorum requisita interiora, partes, vitia et elegantiae enumerantur. Et *duodecimo* tirones in interiora poeticae artis adyta intromittantur, ut optimos poetas, naturamque ipsam imitari et vivis coloribus pingere discant, de quo loco Cl. Gottschedii *Critische Dichtkunst* maximo cum fructu legetur.

§. VII. Adhaec sequentia sunt observanda momenta. 1.) E re tironum erit, si gradus jam jam superati subinde repetantur, seu in memoriam revocentur. 2.) Quolibet in gradu illi sunt relinquendi, qui ulterius progredi aut nolunt, aut non possunt, ne ascendentibus sint impedimento. 3.) Eadem vestigia in addiscenda teutonum poesi legi possunt, licet via hic longe facilior et compendiosior sit. 4.) Porro ad verticem Parnassi contendens diligens sit oportet, ut quotidie non in lingua latina tantum, sed in cognitione omnium rerum potissimum suppellectilem suam in dies augeat, quo poetae mensuram explere possit. 5.) Tandem praejudicia poetica, de quibus Clar. Numburgensium Rector M. Peucerus in programmatibus nonnullis docte egit, cum a magistris, tam

tum a discipulis sedulo evitentur. Hanc methodum mihi semper in docenda poësi ob oculos posui, et ideo in hac tabella quasi complexus sum, ut uno obtutu alumni perspicere possint, qua via ad aquas ex Hippocrenes fontibus hauriendas perveniant; alias adire licet Scaligerum.

Observ. II. De variis exercitiorum generibus ad linguam latinam feliciter addiscendam necessariis.

§. I. Quilibet habitus longo rerum usu variisque exercitationibus acquiritur. Veritatem hujus postulati et opifices, et litteris dediti, uno comprobant ore. Quod cum ita sit, variis exercitationum generibus ad habitum in latino sermone adspirantibus opus est. Quia autem non omnia aequae nota sunt et utiliter adhibentur, constitui, in praesenti illa colligere et suo ordine commendare, ut in posterum semper ob oculos versentur, nec ullum negligatur.

§. II. Exercentur pueri in Quiritium lingua partim *legendo*, partim *componendo* et *vertendo*. Leguntur scriptores varii generis, antiqui et recentiores, idque cursim aut statarie, de qua re in sequenti observat. Vertuntur germanica in latinum et haec in Germanorum idioma, partim ore tantum, partim calamo. Utrumque utile est atque necessarium, et semper se invicem excipere debet. Quando itaque puerulus utcumque legere et pingere potest, discat necessaria vocabula, non tantum substantiva, ut plerumque usu venit, sed et adjectiva, verba, pronomina, particulas, dein potiora paradigmata, tandemque primarias regulas. Et haec omnia lectione et variis exercitationibus inculcari debent et augeri, et quidem hoc modo.

§. III. Legantur e. g. tirocinium *Langii* paradigmaticum et dialogicum, seu *Castellionis* dialogi sacri, et alia ejusdem caveae, et statim post examen, secundum regulas grammaticas puero notas et repetendas, subjungantur variae *formulae*, quales in tirocinio paradigmatico et *Speccii* praxi declinationum et conjugationum obviae sunt, et hae jam verbis, jam litteris exprimantur. Eodem modo omnes phrasae et constructiones rariores in lectione auctorum semper inculcandae sunt. Ergo utus formularum plane aureus est, nec unquam omnino negligendus. Cl. *Gesneri* Lüneburgische Schul-Ordnung hoc de loco legi meretur.

§. IV. A formulis puerilibus cito pede ad exercitia, et quidem primum

primum *syntactica* pergendum, in usum regularum syntacticarum; quae vel brevia, vel longa, vel faciliora, vel difficiliora sunt. Faciliora unam tantummodo regulam, difficiliora plures imprimunt. His incipientes, illis provectiores exercentur. His, si praeceptor talia exercitia ipse componere non velit, inservient *Rombergius, Wilkius, Steinbrecherus, Muzelius, Hedericus* in 2. parte progymnasmatum filii latini; Illis autem *Casparus*. Emendationem hic, ut in ceteris, docens ita instituire potest, ut mox publice nonnulla, mox privatim, mox ipse, mox per superiores corrigat, mox vitia ipsa emendet, mox a coeisu integro in praelecto penso errata quaeri jubeat, mox lineola in margine indicet, ut pueri ipsi dijudicent, quanam vitia sua sint, et emendent, quod judicium acuit et multum soliditatis adfert. Necesse autem tunc est, ut praeceptor eadem exercitia sub incudem revocet atque limam, visurus, quomodo pueri officio functi sint. Hoc exercitiorum genus et hic varius emendandi modus permagno sane est juventuti emolumento, cui tantum non semper vaco.

§. V. Interdum tamen et exercitia, ut vocantur, *libera*, ad nullas nimirum peculiare regulas adcommodata praescribi possunt, maxime in ulum vocabulorum et phraseologiae. Materiam ad haec tempus ipsum, quotidiani eventus, Historia, Geographia, Physica novellaeque offerunt. Immo hoc modo integros libros sensum vertere possumus. In officina scholastica et virtutum talia inveniuntur: verum phrasae et vocabula in margine notata non omnia sunt terreae et purae latinitatis.

§. VI. Non sine insigni fructu est, si exercitium vel liberum, vel syntacticum interdum *pro loco* altiori obrinendo, aut suo defendendo scribendum curamus. Isti etenim certantes, qui alias levés, supini sunt, et per omnia vagabundi, hic animum advertunt, et aemulationis stimulis incensi singula, quin et minima momenta, de qualibet scilicet re dubitantes, inquirunt et excutiunt. Sedulo autem cavendum, ne se his superbia, invidia, obtrectatio, subdolae fraudes, aliaque vitia immisceant, bonamque et utilem rem, quod facile usu venit, nisi vigilemus et pueros identidem admoneamus de vera certaminum scholasticorum ratione, commaculent atque inquinent. In hoc autem cardo rei versatur, ut quilibet tironum ardentissimis precibus omnique nisi altiore locum venetur, diligentiam suam incrementumque experiatur et ostendat,

dat, verumtamen cum abnegatione sui ipsius, ut patienter et sine adfectuum perturbatione ascendat aut descendat, vtrumque in suum convertat usum, nec condiscipulo ascendenti succenseat, nec litem moveat, nec, quod multo minus ferendum, praecceptoris vitia sua in iuste palliando, molestias creet. Quod dixi de certaminibus, valet etiam de dicimasticis in lustrationibus scholarum scribi solitis.

§. VII. Nonnunquam praecceptor cum discipulis *stochasticum* leu conjecturale elaboret, ut in schola Orphanotrophi Halensis singulis sit hebdomadibus. Hoc modo autem hic proceditur. De penso suppeditato praelegit paragraphum primum evocatus, indicatque, quomodo interpretari cogitet: Deinde plures aut singuli de sua sententia et calculo suo, qua praecipuas phrasas, interrogantur. Quo facto praecceptor adhuc intermissas loquendi formulas insigniores suscitatur, optimam interpretationem eligit, et in calamus dicitur, additis rationibus, cur haec sua sit optima interpretatio, et non alia. Et sic pergit. Certe, hoc exercitationis genus egregium plane spondet et largitur commodum.

§. VIII. Fundamento et regulis distinctionum ad ductum oratoriae institutionum jactis ac substratis, commendandum, ut interdum *distinctiones* in penso dicitur *reticeantur*, discipulisq; pro sua cujusq; cognitione interponenda relinquuntur. Quod duplici ratione fieri potest: Primum, ut inter scribendum de illis deliberemus, opiniones discipulorum vel confirmemus vel emendemus. Hoc aliquoties facto praecceptor ulterius progreditur, et de distinctionibus ne unicum quidem verbum dicit, sed unicuiq; relinquit eas domi adpingendas.

§. IX. Ab exercitiis pergimus *ad imitationes* minime gentium possit habendas. Omne, quod bonae notae in scholis legitur, ut per imitationes vitam accipiat altioresque radices agat, videndum. Sunt autem imitationes pueriles, masculae, mixtae. Pueriles insigniores phrasas et inusitata vocabula tantum imitantur et pueris incipientibus imperantur. Masculae numerum verborum et positum in primis, integrum periodorum et textus nexum, oeconomiam, symmetriam, aliis quoque phrasibus, aliaque in materia, aemulantur, quibus proveciores occupati sunt. Mixtae mox phrasas, mox numerum verborum et nexum membrorum imitantur, quibus pueri masculis sensim adfuescuntur.

tur. *Hedericus* dedit in progymnas, stil. lat. imitationes pueriles et alii. *Freyerus* in Oratoria et ii, qui de stilo, ut *M. Langius* scripsere, de maculis praecepta dedere. De miscello genere nullibi hucdum legi, est tamen necessarium et utile, in primis si pueris injungitur, ut in imitationibus suis semper auctoris ordinem verborum, qua fieri potest diligentia, servent. Praeter formulas verbis tantum prolatas inferiores imitationes quoque scribant, oportet, et quidem primum argumentum germanice describant, deinde vertant sub initium auxiliatore praepetore, tandem suo Marte. Medii subfellii pueros statim extemperaneo scribendi exercitio adsuaficiamus, quod fit, si rudioribus et sub initium subsidio venimus, locumque phrasium imitandarum indicamus.

§. X. Post imitationes laudo *versiones* et *Gesneri* et meo iudicio primo loco ponendas. Vertendo enim puer se exercet in vernacula, acuit iudicium et adigitur, ut omni *ἀπιβέια* in exprimendis et exhaustiendis auctorum verbis desudet, genium linguae latinae discat. Quo facto demum idoneus redditur, ut ipse exercitium latine et non semibarbare contra omnem latinismi indolem componat. Artificium vertendi seu interpretandi pueri rite docendi sunt, monendique, ut personam et res auctoris induant, verbaque illi convenientia adtribuunt. Deinde praepetor initio nonnullas versiones ipse cum discantibus elaboreret, eorum mentem dirigat, emendet, additis rationibus. Quas autem ipsi fabricati sunt, diligenti lima persequatur et deinde jubeat, semoto auctore, iterum eas civitate latina, verba auctoris ipsa pro virili aemulando, donare, ad quem lapidem lydium elaborationes quoque emendentur ostendaturque, quantum distent aera lupinis. Sic varia varii latini stili generis pensa, poetica quoque, graeca, gallica tractari possunt.

§. XI. Accedo ad *permutationem* minime gentium negligendam. Permutator 1.) pensum incomtae latinitalis et barbarifinis soloecifmisve scatens cum casta puraque latinitalate. Permutantor 2.) phrasas aliae cum aliis. Caveamus autem, ne elaborationes nostrae statim titulum stili Cornelianiani, Ciceronianiani, Curtiani, Caesarianiani, Plinianiani aut Livianiani superbe mentiantur. Nam differentia horum auctorum non potest in quolibet parvo penso, nec in nonnullis phrasibus ostendi. Praeterea multum requiritur et temporis et industriae ad genium unius auctoris perspicendum et adquirendum sibi, Fumum itaque venditat, qui tam vario
variorum

variorum scriptorum genio superbit. Aliquot phrasas non omne ferunt punctum, et quis tam attente hos scrutatus est auctores, qui sine omni dubitatione sciat, an hic vel ille auctor, hac vel illa phrasi utatur, aut non utatur? Commutator 3.) sensus cum sensu, adeo, ut *συνδύσεια*, et ordo membrorum et verborum maneat, de qua re §. 9. dixi. Commutantor versa cum prorsa, veneres ligatae orationis cum veneribus stili soluti. Qua autem in re differant, ostendit Ven. *Walchius* in praefat. operum Ovidii sua ipsius cura olim evulgarorum.

§. XII. Sequitur variatio simul *grammatica* per casus et tempora, simplici aut duplici ratione, simul rhetorica, simul logica, quae egregium propinat usum et in stilo addiscendo, et in copia phrasium adquirenda, et in oratoriae praeceptis exercendis, ut proinde dolendum, multos eam plane susque deque habere et adspernari. Egit de hac variatione *Freyerius* in tabulis orat. et *Hedericus* in progymnasm. ut pluribus de hoc loco effundendis verbis superfedere possimus.

§. XIII. Tandem sequatur oportet exercitium *sua ipsius cogitata* probato stilo et congruo *exprimendi*, quod *oratorium* audit. Oratoriae itaque fundamentis rite positis exerceantur pueri et adolescentes in componendis et elaborandis periodis, chriis, epistolis, concionibus, orationibus, disputationibus et versibus, idque alias latine, alias teutonice. Etenim cujuslibet genium discere debent tirones, quia nostris jam moribus erudito turpitudini ducitur, si in Latio quidem probatur, in patria autem ut semibarbarus loquitur et scribit. Haec docet oratoria, quae explicatione praeceptorum et exemplis elaborandis inculcanda.

§. XIV. Ad exercitationem tam stili, quam eloquentiae, pertinet quoque *dilatatio*, ut scilicet interdum ex periodo chria, ex chria oratio et ex unico versu carmen conficiatur: Quae tirones expeditos reddit in copia vocabulorum et phrasium adhibenda et in excogitandis rebus ad rem pertinentibus. Hanc autem licentiam ut illis in elaborandis exercitiis stili concedamus, id quod factitatum a nonnemine, bonum tamen se ludimagistrum jactitante, memini, haud suaferim. Sic enim id maximi momenti negotium; interpretandi scilicet, et non plus minusve, nec aliud quid in alia lingua dicendi, quam quod auctor in suo sermone dixit, et artificium omnia congruis vocabulis et nitide exhauriendi, non discunt discipuli, quod alienum foret ab instituto, Quodlibet potius suo tempore ac ordine

§. XV. Neque minus interdum contra artificium *contrahendi* ostendatur exerceaturque, ut scilicet, quod alius pluribus, nos paucissimis proferamus, ut orationis summam in chriam, chriae in periodum, carminis in versus paucos redigamus complectamurque. Idque eo magis, quo plus sapientiae requiritur, rem paucis proferendi et superflua praescindendi, quam magnam farraginem arcessendi. In nonnullis institutionibus oratoriis haec ultima exercitia desiderantur.

§. XVI. Tandem accedat *exercitium loquendi*, id quod fit, si tirones tenentur, omnia latinis inter se verbis agere, si praeceptor ipse latino utitur sermone, si lectiones interdum latinis verbis reperere jubentur, aut filo non interrupto, aut responsionibus ad quaestiones: Si graeca, hebraica, aliaque latinis interpretamur verbis; si inter se epistolis quotidie confabulantur, si exercitium disputandi instituitur, si denique integra pensa versuum, integrae chriae, conciones, orationes aut ex optimis auctoribus desumptae, quod maxime & ante omnia commendandum, aut a praeceptore, aut suo Marte elaboratae, subinde, jam privatim, jam publice memoriter recitantur.

§. XVII. Haec sunt exercitiorum genera mihi nota atque usitata, Unumquodque suum largitur usum, nec ullum plane negligendum. Sic praeceptor attentionem et commodum discipulorum per assiduam variationem, quae ubique plurimum valet et potest, et debet promoveri. Et si cavet, ne tirones elaborationes intermittant, aut in errantes schedas conjiciant: Sed praecipit, ut eas domi in peculiaribus libris conscribant, omniaque sua vitia sedulo notent, ne in posterum ad nauseam usque iterentur; emolumentum eo erit certius atque praeclarior.

Observ. III. *De sextuplici modo auctores classicos legendi et transferendi.*

§. I. Auctorum classicorum translatio et explicatio praecipuus in scholis labor esse solet, ut, qui vulgo duntaxat constituitur finis, vocabula et phrasae inde petantur, et ut, quod prudentiores rerum arbitri addunt, genius linguae latinae inde discatur, et varia rerum suppellex colligatur. Quum autem magna sit tironum varietas, varia eorum capacitas, varius finis: Varia etiam explicandorum auctorum ratio sit oportet, quam indicandi inpraesentia animus est.

§. II.

§. II. *Primo* cum incipientibus ita tractandi sunt auctores, utque intellectu facillimi e. g. Colloquia Langii, Dialogi Castellionis, Gottschedii auctorum classicorum primus, selectae epist. Cic. Phaedrus, cet. ut praeceptor tironibus expositionem et constructionem praeceat, ita ut singula verba suo ordine reddat, exhaustiat, probatis verbis teutonicis exprimat. Quo facto bini vel terni discipuli paragraphum jubentur repetere, notabiliores loquendi formulae extrahantur, et quod melius erit, calamo excipiantur, quia hoc modo attentioni prospicitur, simul memoriae res inscribuntur, et repetitio promovetur. Tandem interdum, non semper, mox singulae voces, mox notatu digniores, quae difficiliore, et tamen profectus puerulorum non superant, exigendae sunt ad regulas grammaticas saepe evolvendas, ut sensim memoriae mandentur. Conf. Cl. Gesneri praefat. ad Livium §. 6. 18. et Lüneburg. Schul-Ordnung.

§. III. *Secundo* modo tirones ceteris expeditiores integrum caput aut nonnullas deinceps paragraphos, exponant, attamen ut prius verba secundum ordinem naturalem praelegant, inprimis si constructio sit intricatior, studeant, ea primum ad verbum exprimere et vim uniuscujusque vocabuli adsequi, dein ad indolem ac elegantiam linguae nostrae vertere, porro phrasen ipsi extrahant, quarum primariae itidem describantur, variisque formulis familiares reddantur. Praeceptor sensum verborum explicet, nonnulla vocabula philologice consideret, alia secundum rhetorices praecepta examinet, integrum pensum ab inferioribus repetendum curet, denique imitationem puerilem aut miscellam scribi jubeat. Nec fructu carebit, si tirones sensum et mentem auctoris verbis teutonicis aut latinis narrent, repetant, periodos nonnullas ad praecepta oratoriae in sua membra resolvant atque mascule imitentur. Conf. quoque *Kriegkii* constitut. rei schol. Ilfeld.

§. IV. *Tertio* paragraphus usque ad punctum seu colon praelegatur, deinde oculis adjutoribus versio recitetur, ea tamen lege, ut vim vocum et genium linguae nostrae adsequi studeamus. Id fieri potest in lectionibus cursoriis, in facillioribus auctoribus, in repetitione et eum habebit usum, ut tempus lucremur, ut plures percurrere auctores possimus.

simus, ut facultas latina expedite pronuntiandi, cogitataque nostra promte proferendi adquiratur, lingua volubilis reddatur, et in utraque lingua expeditiores evadamus. Ita felici quodam caussarum reciprocantium circulo lectio velocitatem pariet, accelerabit velocitas lectionem. Haec cursoria lectio cum superiori stataria semper jungatur, seu, ut clarius dicam, alternis continetur, fas est.

§. V. *Quartus* modus est, si versio teutonica fidelis a quodam praelegitur, aut e vestigio intermissa textus praelectione conficitur, reliquique textum ipsum facile legendo adsequuntur, difficilioraque loca et verba solummodo notantur et declarantur. Qui modus auctorem tractandi, licet publica textus ipsius praelectio egregium habeat usum, quippe auditus organa quoque adficit, ut hoc modo res duplici via, per auditum et visum, ad mentem perveniant eoque altius insigantur: Attamen nonnunquam, praecipue in facilioribus pensis aut auctoribus, locum invenit, eoque valet, ut multi auctores pertractari possint, promitudoque discentium concilietur expeditissima.

§. VI. Hic modus eo erit utilior securiorque, si vicissim *quinto* operam damus, et in ejusdem commatis auctoribus aut pensis, textum latinum praelegendum et in mente tantum interpretandum curamus. Hic gradus est is, quem omnes petunt, quo omnes alii conatus conspirant. Si publice in scholis sic tractatur auctor, praeceptor itidem loca difficiliora enodat merito: Quod si domi quidam ita sine cortice natate vult, propriis filis viribus, non est, quod circa obscuriora diutius commoretur, notet ea potius lineolis, strenueque pergat, donecum dies diem doceat, et pedetentim ex ipso auctore clariora evadant, aut donec ex praeceptore explicationem petere, integrum sit.

§. VII. Restat adhuc *sextus* modus, qui in scholis non, nisi in absentia doctoris, locum invenit, sed potius, cui domi operam navent tirones, commendandus, nimirum ut calamo auctorem interpretentur, id quod majorem requirit *de pi. 3. av.* De quo vertendi exercitio et usu videantur, qui turmatim de eo scripserunt. At enim vero haec interpretatio aut a doctore, aut ex bonae notae versione, typis jamjam expressa, ut emendetur, fas est, quod nisi sit, tirones in posterum errata sua non possunt evitare.

§. VIII. Omnes et singuli hi modi sunt commendandi, utiles et neces-

